



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. II. Testimonia Divi Thomæ,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

§. I.

*Secunda sententia ut verior & probabilior
eligitur, & ex Scriptura probatur.*

Dico igitur: Christus ut homo, ita est caput Angelorum, ut ipsis tamen gratiam & gloriam essentialem nullo modo meruerit, sed solum accidentalem.

78. Probatur primò conclusio triplici Scripturæ testimonio. Primum habetur Lucæ 2. ubi Angelus Pastores alloquens post Christi nativitatem, gratulabundus dicebat: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator: his enim verbis satis indicat, Christum solis hominibus natum esse; alioquin tanti beneficii meminisset, nec solis Pastoribus, ceterisque hominibus, sed etiam Angelis, natum esse Salvatorem prædicasset. Unde Bernardus homil. 3. super Mis-
sus est, in fine, hæc verba Isaïæ expendens: Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis, subdit: Nobis, inquam, non sibi, qui utique ante tempora multò nobilius natus ex Patre, nasci temporaliter non indigebat ex matre. Non Angelis quoque, qui cum magnum haberent, parvulum non requirebant. Nobis ergo natus, nobis est datus, quia nobis necessarius. Jam de nobis nato & dato faciamus ad quod datus est & natus. Vicamur nostro in nostram utilitatem. De Salvatore salutem operemur. Similia habet Guericus Abbas serm. 3. de Nativitate Domini, ubi tractans etiam illud, Puer natus est nobis: Nobis prorsus (inquit) non enim sibi, non Angelis. Sibi, inquam, natus non est, ut scilicet hac nativitate esse, aut melius esse inciperet, qui antequam temporaliter nasceretur, æternaliter erat, & perfecta beatitudo sibi erat, quia de Deo perfectio, Deus perfectus natus erat. Angelis natus non est, quia nec Angelus ille qui in veritate stabat, reparatione indigebat, nec illius qui ceciderat casus reparabilis erat. Ideo nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit: & qui Deus natus erat sibi, puer natus est nobis, se quo lammodo relinquens, & Angelos transiliens, ut ad nos usque deveniens, unus fieret nobis, & exinanitus semetipso, minoratus ab Angelis, aequalis fieret nobis. Qui igitur æternaliter sibi & Angelis erat beatitudo, natus temporaliter, factus est nobis redemptio.*

69. Secundum testimonium habetur Matth. 18. & Lucæ 15. ubi Christus parabolam inducit pastoris, qui nonaginta novem oves in deserto reliquerat, ut centesimam quæ perierat, salvam faceret: communis enim Patrum interpretatio in hunc locum est, per nonaginta novem oves in deserto relictas, significari novem Angelorum choros, quos Christus verus & bonus Pastor, in cælo quodammodo deseruit, dum è sinu Patris in uterum B. Virginis descendit, ut ovem centesimam, quæ hominem designat, à patria aberrantem, & peccato perditum quæreret, & sanguine proprio salvum faceret. Ita hanc parabolam explicant D. Ambrosius lib. 7. in Lucam, cap. de ove centesima. D. Gregorius homil. 34. in Evan. 3. & Venerabilis Beda in illud Lucæ 15. *Quis ex vobis homo qui habet centum oves &c.*

70. Tertius locus sumitur ex capite 2. Epistolæ ad Hebræos, ubi Apostolus loquens de excellentiâ Christi supra Angelos, sic habet: *Qui enim sanctificat & qui sanctificantur ex uno omnes: propter quam causam non confunditur eos vocare fratres dicens, nuntiabo nomen tuum fratribus meis; &*

Tom. IV.

A iterum, *Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Deus. Quia ergo pueri, communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem. Ex quibus verbis sic formatur argumentum: Omnes qui sanctificantur à Christo, atque adeo quibus ipse meruit gratiam sanctificantem, quæ est gratia essentialis, vocantur pueri & fratres Christi: Sed Angeli non possunt pueri & fratres Christi appellari: Ergo illis non meruit gratiam sanctificantem, sive essentialem. Major est propositio Apostoli, dicit enim quod qui sanctificantur & qui sanctificat, sunt omnes ex uno, & quod propter hanc causam, non confunditur eos fratres vocare, & quod eos vocat pueros suos. Minor verò probatur: Illi dicuntur ab Apostolo pueri, & fratres Christi, qui communicaverunt carni & sanguini: Sed Angeli non communicaverunt carni & sanguini, utpote spiritus puri: Ergo vocari nequeunt pueri & fratres Christi.*

B Respondent Suarez, & Cabrera, duplicem esse sanctificationem, sive gratiam essentialem: unam quæ non tantum sanctificat, sed etiam redimit à peccato; alteram quæ licet reddat sanctum, non tamen liberat à peccato, eò quod in subiecto suo illud non reperiat: Apostolum autem loco citato non loqui de utraque illa sanctificatione, sed duntaxat de illa quæ redimitur à peccato is qui sanctificatur, subindeque nihil amplius ex illo testimonio concludi, quam quod Christus non meruerit Angelis gratiam essentialem, quæ eos sicut homines liberaret à peccato.

C Sed contra: Ideò Apostolus loco citato loquitur solum de sanctificatione liberativa à peccato, quia nullam aliam agnoscebat, cujus causa fuisset meritum Christi: si enim aliam agnovisset, valde processisset dimittit in eo quod præcipue intendebat, nempe excellentiam Christi supra Angelos describere; eam enim amplius & maxime commendare potuisset Hebræis, ex eo quod suo merito, non tantum redemptos, sive homines, sed etiam non redemptos, sive Angelos, sanctificasset.

§. II.

Testimonia Divi Thomæ.

Potest etiam probari conclusio ex D. Thomæ, qui varijs in locis aperte favet nostræ sententiæ: nam quæst. 29. de verit. art. 7. ad 5. sic ait: *Sicut mereri est viatoris, ita non nisi pro viatore aliquis potest mereri, quia oportet ut ei pro quo quis meretur, aliquid desit eorum quæ sub merito cadunt: Angeli autem non sunt viatores, quantum ad premium essentiali, & idè quantum ad hoc nihil eis meruit Christus: sunt autem aliquo modo viatores, respectu præmij accidentalis, in quantum nobis ministrant, ad quod valet eis meritum Christi. Et in 2. sent. dist. 9. quæst. 1. art. 8. ad 2. docet operationem hominis efficaciorē esse ad merendam vitam æternam, quam sit operatio Angeli; & inter alias rationes pro hac veritate, istam affert, quia operatio hominis fundatur in merito Christi, non verò operatio Angeli; atque adeò censet Christum non meruisse Angelis vitam æternam. Item in 3. dist. 13. quæst. 1. art. 2. quæstione. 2. loquens de Christo ait quod non in-
fuit Angelis removendo prohibens, scilicet peccatum, aut merendo gratiam, Denique in hac parte infra quæst. 59. art. 6. in corp. & in resp. ad 6. concedit quidem iudicio Dei, negat tamen iudicio Christi ut hominis, Angelos subijci, quantum*

C Cec ij

ad præmium essentielle, & damnationem æternam. Quæ doctrina verificari non potest, si Christus Angelis meruit præmium essentielle: si enim antiqui Patres, licet ante Incarnationem iustificati, eo ipso tamen quod ex meritis Christi iustitiam suam habuerunt, subfunt iudicio Christi humano in fine mundi futuro; quare ad Christum ut hominem non pertinebit iudicare Angelos in extremo iudicio de merito essentiali, & præmio illi correspondente, si tale præmium ex meritis & gratia Christi consecuti sunt?

§. III.

Eadem veritas ratione suadetur.

74. **P**lures adduci solent rationes in ejusdem veritatis confirmationem. Prima & præcipua sumitur ex principiis supra disp. 3. art. 1. statutis, agendo de motivo Incarnationis, potestque sic breviter proponi. Decretum de conferenda gratia & gloria ex meritis Christi, dependet ex prævisione peccati Adami, saltem in genere causæ materialis & occasionalis: Sed decretum de conferenda gratia & gloria essentiali Angelis, non dependet ex prævisione peccati Adami: Ergo decretum illud non innititur præscientiæ meritorum Christi, nec ab illa dependet, subindeque gratia & gloria essentialis Angelis collata, non est ex meritis Christi, sed ex mera & gratuita liberalitate Dei. Major probatur: Christus & ejus Incarnatione decreta fuerunt dependentes à prævisione peccati Adami, ita ut illo non peccante Filius Dei non venisset, ut loco citato fusè cum S. Doctore ostendimus: Ergo gratia & gloria ex meritis Christi conferenda, non potest etiam non dependere à prævisione peccati. Minor autem, in qua est difficultas, probatur primò. Cum Adamus ex suggestionem mali Angeli jam damnati, lapsus fuerit, Deus priusquam statueret permittere peccatum primi parentis nostri, ac proinde priusquam illud præsciret, debuit habere voluntatem permittendi lapsum primi Angeli, subindeque & voluntatem efficacem conservandi bonos Angelos in gratia, eosque consequenter remunerandi gloria essentiali, alias reprobatio malorum Angelorum esset prior prædestinatione bonorum, quod tamen omnes negant: Ergo similiter, imò à fortiori, priusquam Deus decerneret permittere peccatum Adami, illudque præsciret, voluit conferre Angelis gratiam & gloriam essentialem.

Secundò probatur eadem Minor principalis: Gratia quæ est dependens ex prævisione peccati, est gratia sanans & redimens, ut de se patet: Sed gratia collata Angelis non est hujusmodi, ut enim dicitur Matth. 9. *Non est opus valentibus medico, sed his qui male habent*: Ergo gratia collata Angelis non est dependens ex prævisione peccati Adami, nec per consequens ex meritis Christi venturi, sed ex mera liberalitate Dei.

75. **S**ecunda ratio: Omne meritum Christi pro his quos sanctificavit, ita fuit passione & morte suâ consummatum, ut nemo per Christum sanctificatus sit, nisi pro eo Christus passus & mortuus sit, unde quicunque excluditur à sanguine & morte Christi, etiam ab ejus merito & sanctificatione excluditur: Sed Angeli à sanguine & morte Christi excluduntur: Ergo & ab ejus sanctificatione & merito. Minor est certa, & passim docetur à SS. Patribus: Augustinus enim in Enchiridio cap. 61.

A sic ait: *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro omnibus tradidit illum: non enim pro Angelis mortuus est Christus*. Berhardus serm. in feriam 4. hebdomadæ sanctæ: *Passio homini data est, quia alteri dari non potuit: nunquid Angelo? Sed ille non eguit? Nunquid diabolus? Sed ille non resurgit*. Gregorius 28. moral. cap. 6. *Incarnationis mysterium & ipsi Angeli electi mirati sunt, qui eodem mysterio redempti non sunt*. Id etiam evidenter convincitur ex illa consequentia quam facit Apostolus 1. ad Corinth. 5. *Vnus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt*, scilicet per peccatum: Sed Angeli boni & electi, nunquam fuerunt mortui per peccatum: Ergo nullo modo potest dici quod pro illis Christus mortuus sit.

B Major autem in qua est difficultas probatur ex illo Apostoli ad Hebræos 10. *Vnâ oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*. Quibus verbis aperte declarat quod quicunque sanctificati sunt, illà unâ oblatione quâ Christus in ara crucis seipsum in satisfactionem pro peccatis obtulit, gratiam & sanctificationem obtinuerunt, subindeque quod omne Christi meritum pro his quos sanctificavit, passione & morte suâ consummatum fuit. Ratio etiam id suadet, nam convenientissimum est, ut omne Christi meritum pro his quos sanctificavit, in perfectissimo ejus opere completum & consummatum sit: Sed Christi passio & mors fuit opus Christi perfectissimum, & præstantissimum, quia in ea completum est totum pondus charitatis ipsius, juxta illud Apostoli ad Roman. 5. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quia cum peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*. Quæ verba exponens D. Thomas, subdit: *In hoc quod dicit commendat, immensitatem quandam divine charitatis assignat*: Ergo omne Christi meritum pro his quos sanctificavit, passione & morte suâ consummatum est.

C Confirmatur: In his quæ Christus pro seipso meruit, consummavit meritum suum per passionem & mortem, juxta illud Lucæ 24. *Nonne sic oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*? Et ad Philipp. 2. *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum*. Ergo à fortiori omne Christi meritum pro his quos sanctificavit, passione & morte suâ consummatum est. Unde commentitium ac temerarium videtur quod ait Suarez, nempe Christi merita pro hominibus, non nisi per mortem & passionem suam consummata fuisse, pro Angelis verò ante mortem & sanguinis effusionem, subindeque actibus passionem antecedentibus, gratiam & beatitudinem ipsis promeruisse: cum enim hoc ex mera Dei voluntate dependeat, iudicare de illo absque revelatione Ecclesiæ, aut urgentissima ratione, temeritate non vacat; præsertim cum Apostolus asserat, Christum unâ oblatione (id est morte & passione suâ) consummasse in sempiternum sanctificatos.

D Tertia ratio: Nullus iustificatus per merita Christi, est glorificatus ante merita Christi per passionem consummata: Sed Angeli sunt glorificati ante merita Christi per passionem consummata: Ergo per merita Christi iustificati non sunt. Minor est certa de fide, & patet ex illo Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*. Major verò probatur exemplo Patrum antiquorum qui Incarnationem præcesserunt: ideo enim illi non sunt glorificati ante passionem Christi,